

Nr. 16.

16.

DISSERTATIO HOMILETICA
PRIOR
DE
I V S T A
CONCIONVM
MENSURA,

Bon kurzen und langen Predigten:

QVAM,
IN VSVM AUDITORII SVI CONCINNATAM,
IN REGIA FRIDERICIANA

DIE SEPTEMB. HVIVS ANNI MDCCXXIX.
PVBLICAE DISQVISITIONI

SUBMITTIT

PRAESES

D. IOACHIMVS Lange,
S. THEOL. PROF. ORDIN.

RESPONDENTE

FRANCISCO DANIELE Bierdemann,
SINSLEBIA HALBERSTAD. S. THEOL. CVLTORE,

HALÆ MAGDEBURGICÆ
TYPIS CHRISTIANI HENCKELII ACAD. TYP.

DISSESTRAITA MONUMETICA

IN TERRA SICULA

ANNO MDCCLXVII

AT VENICE

MUNIMENTA
MUSEI

ANTIQUITATUM

ET HISTORIARUM

IN REGIA LIBRERIA

ACADAMIA

ET INSTITUTIO

ANTICO MUSEI

ET HISTORICO

LIBRARIA

ET INSTITUTIO

ANTIQUITATUM

ET HISTORIARUM



BENEVOLO LECTORI

S. P.



Vm homiletica ea studii theologici pars sit, ad quam recte ordinandam reliquæ omnes, et si non in totum, præcipue tamen dirigendæ & applicandæ sunt, illa etiam in Academiis studioſa iuventus, quæ se ministerio verbi divini sacro consecravit, merito instituitur. Et huic ipsi, quod hæc dissertatio exhibet, & altera ei cognata exhibebit, destinatum est. Non quidem est dubium, ex ipsis etiam verbi ministris haud paucos hic inventuros esse ea, quæ,

A 2

alias

alias minus curata , observent , ac in usus suos
quam saluberrime convertant : præcipue ta-
men auditorio iuvenum , qui ad publicum evan-
gelii præconium formantur , hæc scripta sunt,
ut habeant , quæ cuin homileticis institutioni-
bus aliis , iam dudum in usus ipsorum apud nos
exstantibus , salutariter coniungant . Cum e-
nim nemo negaverit , in re homiletica , inter
reliqua omnia , hæc duo momenta esse præci-
pua , ut iusta in sermonibus sacris mensura ser-
vetur , & ut omnia curationi studio ad ædifica-
tionem , unicum totius laboris scopum , refe-
rantur , istis , quæ ei obstant , inde dextre re-
ficiſſis ; hoc ipsum est , quo tendunt hæ disserra-
tiones . Quarum cum hæc prior agat de con-
cionum mensura ad mediocritatem componen-
da , posterior aget de eo , quomodo scopus &
fructus ædificationis quam optime possit obtine-
ri . Quod institutum ut in plurimam divini no-
minis gloriam cedat , Deus multam lectoribus
gratiam in Christo largiatur !

sup. eo alio concursum est secundum disting.
enials

DISSER.

DISSE^{NT}TIONIS HOMILETICAE
PROPOSITIO I.

Ad εὐχημοσύνην & εὐταξίαν in cultu Dei publico, a Paulo i Cor. XIV, 40. commendatam, inter alia etiam pertinet iusta homiliarum publicarum mensura.

ILLUSTRATIO.

Nulla quidem in contextu allegati loci, vel proximo, vel remotiori, expressa fit mentio istius temporis spatii, quod actui sermocinationis publico dandum sit. Nec illa ecclesiæ facies, quam ipsi in coetu publico extraordinaria charismatum dona attulerant, vbi-que permittebat, ut more deinceps recepto unus tan-tum verbi minister verba faceret ad præsentem gregem. Quemadmodum vero negari nequit, Paulum generatim loqui de iis omnibus, quæ ad conventus publicos pertinebant, & inter ea principem facile locum si-bi vindicare præconium verbi divini publicum: sic manifestum etiam est, præcipue in hoc vigere debere id, quod decet & bene ordinatum est. Cum enim di-xerit, πάντα, omnia, εὐχημόνως καὶ κατά τάξιν γνέσθω, decen-ter & secundum ordinem siant; quis diceret, ipsum istud, quod inter ea præcipuum, si pro ratione charismatum singularium nondum existebat, tamen futurum erat, inde exclusisse? Videmus igitur, locum hunc Pauli-num in hac, quam tractandam nobis sumsimus, materia

non immerito fundamenti loco ponit. Et si, iusti ordinis determinatio rebus omnibus decens conciliat schema, id sane ad convenientem temporis, quo aliquid peragendum sit, dimensionem quam maxime requiri, nemo nescit.

PROPOSITIO II.

Ea vero temporis determinatio, quæ nullam pro re nata contrahendi, aut extendendi, libertatem admittit, in sermonibus publicis non habet locum.

ILLVSTRATIO.

Potest quidem aliquis dicere ad clepsammium; scilicet ut, et si tacitum, tamen visibilem, habeat monitorem, ne in dimensione spatii, sibi ad dicendum propositi, inscius aberret: at nullum tamen in eo habet legistatorem ac iudicem. Et quid dicentem ad durationem cum precisione determinatam adstringere, effet aliud, quam eius spiritum, seu affectum, quando fertur, suffocare, aut, quando remissior est, invitum, certe haud propensum, cogere? Et quamvis aliquis affectum suum in potestate habeat; subesse tamen possunt rationes, quæ præcedenti determinationi obstant. Earum vero præcipuae sunt in ipsis dicentibus: utpote qui, pro donorum diversitate, diversum sequuntur modum, ideoque uni & eidem regule nequeunt adstringi. Et quis nescit, sape etiam aliunde ea incidere,

qvæ

CONCIONVM [MENSURA.]

7

qvæ contrahendi, aut extendendi, libertatem reqvirunt?
Sed de his. deinceps seorsum.

PROPOSITIO III.

Horæ quidem spatium maxime accommodatum est doctoribus ac auditoribus: sed neqve ad istud sermocinandi actus, sine aliqua extendendi, aut contrahendi libertate, adstringi potest.

ILLVSTRATIO.

Horæ integræ duratio habet mediocritatem inter nimirum & brevitatem & longitudinem, ideoque a plurimis servari solet, Ipsi enim plerorumque dicentium latera, nisi ædes fuerint iusto spatio superiores & auditoribus nimium refertæ, una cum pulmonibus sufficiunt. Nec intra eam auditorum attentio, si melioris sit nota, defatigatur; in primis si doct̄or dicendi dono polleat non ingratu. Quodsi alicubi sancta est constitutio de servando hora spatio, ea procul dubio agit de eo, quod ordinarium esse debet, libertati in eo, quod iustas ob rationes extraordinarium est, loco relatio.

PROPOSITIO IV.

Extensio spatii ultra horam, vel contractio intra eam facta, est vel maior, vel minor, vel ordinaria, vel extraordinaria.

ILLV-



ILLVSTRATIO.

Minor illa est, quæ vix, aut non multum, in sensus incurrit; eaque simul ordinaria esse solet illis etiam, qui mediocritatis sunt observantissimi. Et de hac non est sermo. Maior vero ista est, quæ vel horam integrum redigit ad unum alterumve quadrantem, vel unam in duas, aut plures extendit, saltem uni plus spatii addit, quam pro rationibus deinceps in medium proferendis consultum est. Quæ quo magis est *ordinaria*, eo minus confert ad ædificationis scopum. Et enim hanc aut pro nimia brevitate non assequitur, aut per nimiam moram impedit, sine ea facilius ac multo felicius impetrabilem. *Extraordinaria* vero iusti spatii extensio, aut contractione, quando idoneis nititur rationibus, censuram non meretur, sed femet ipsam auditoribus commendat.

PROPOSITIO V.

Subesse possunt rationes idoneæ, quæ spatii una hora definiti extensionem, aut contractionem maiorem & extraordinariam suadeant.

ILLVSTRATIO.**§. I.**

Idoneas extensionis rationes exhibent casus, qui rarius incident, singulares & graviores; quippe qui cum materiam dicendi peculiarem subministrant, immo tractandam injungant, omnino etiam plus spatii requirunt. Huc quidem videri posset referenda esse

CONCIONVM MENSURA.

ea textus & materiæ prolixitas, quæ campum aperit amplissimum; nec non ista affectus sacri abundantia, quæ vela orationis liberius laxata arctius contrahi & tandem non supprimi haud permittit: sed in dicentis arbitrio positum est, utrum sacri sermonis textum integrum velit sibi tractandum sumere; an vero aliquam eius partem eligere. Immo etiam textus integri & prolixioris tractatio per se non obstat iustæ sermonis mensuræ, cum periti & exercitati exegesæ sit, ut materiam tractandam adhibita prudenti circumcisione accommodet tempori, non vero tempus materiæ. Et, si sapit, affectum, ne extra oleas quasi vagetur, prudenter temperat, eique, isto superior, imperat.

§. II.

Singularem vero longiori extensiōnī caussam præbet, si cui rarior & extraordinaria dicendi occasio obueniat: qualem Paulo Troade obuenisse Act. XX, 7 legimus. Cum enim ante aliquot annos, visione nocturna divinitus monitus, ut sine mora ex Asia in Macedonia ad Philippenses euangelii caussa contenderet, locum istum celerius deseruisset Act. XVI, 9-12. Philippis Troada reuersus, & interiectis aliquot diebus inde profecturus, sermonem habuit ad medianam usque noctem productum, immo restituto, qui somno oppressus ex alto exanimis deciderat, Eutycho usque ad ortum solis continuatum. c. XX, 6-12. Adde Act. XXVIII, 22.

§. III.

Fieri etiam potest, ut longior sermonis publici producōrio ordinarium quoque sibi locum vindicet: scilicet si quis habeat auditores, qui e remotioribus lo-

B

cis

cis ratione temporis rarius, & ratione cœtus frequenter; ad sacra publica confluunt, & tanto audiendi desiderio flagrant, quod unius horæ spatio expleri nequit. Hic autem ferreo corporis robore dicentibus opus est. Id quod ut in afflietiis Silesiae euangelice ecclesiis multis obtingat, & ex singulari Dei gratia in seram usque senectutem conseruetur integrum, est sane, quod ipsis a Deo piis precibus merito exoptamus. Atque ita ordinaria hæc mora a cauiss suis plane singularibus extraordinariæ locum accipit.

§. IV.

Contractionis vero extraordinariæ, & simul maioris, cauiss incidunt rarius, & vix existent aliae præter istam, quam corporis infirmitas, seu valetudinis ratio, adfert. Existere tamen potest hiberno tempore tanta frigoris intensio, cui ferenda vix centesimus quisque par sit. Vbi consultum omnino est, vt dicens sermonis sui mensuram tempori accommodet, nec e suo frigoris sensu, quem vehementior corporis motus inter dicendum valde minuit, quid auditores sine hoc tolerare possint, judicet. De contractione ordinaria, quamillis verbi ministris, quibus uno eodemque die in diversis locis habenda est concio, valetudinis imbecillitas imperat, quid sentiendum sit, facile liquet. Hi vero, siunctionis charismate pollut, & pastoralis amoris affectu erga gregem suum ducuntur, probe nouerint id agere, ut, quod sermonis mensuræ decedit, evangelico rerum proponendarum selectu ac pondere, quantum satis est ad ædificationem, decenter suppleatur.

PRO-

PROPOSITIO VI.

A rationibus maioris extensionis, aut contractionis, idoneis probe distinguendæ sunt minus idoneæ, & multo adhuc magis istæ, quæ plane vitiosæ sunt.

ILLVSTRATIO.

§. I.

Contractionis quidem nimiae mentio non plane fuit prætereunda: quia vero eo rario est, sufficit, illam tantum strictim attigisse. Rarissime enim eueniet, ut querelæ de nimia sermonum publicorum breuitate audiatur. Non tamen hanc semper & ubique deesse, sed interdum deprehendi apud eos, qui rerum diuinarum non imperiti solum, sed fastidiosi etiam, pro suo τῆς σάρκος Φεονύμια, vel arare malent, quam orare ac concionari, experientia testatur. Sed hos præstat breuius dicere, quam prolixius. Quo enim breuior est ipsorum sermo, eo minus profanationis inde doctrinæ cœlestis maiestas trahit.

§. II.

Nimiae vero productionis consuetudo cum multo sit communior, eius rationes, eaque haud idoneæ, notandæ sunt. Hæ præcipue sunt: Notitia & adaptatus terum dicendarum uberior, profluentia sermonis liberior, ταυτολογία nimia, defectus in studio contrahendi, prolixitas exordiorum, textuum longitudo,

DISSERTATIO DE IVSTA

nimia exegeseos opera, sanctum quidem, at non satis temperatum, ædificandi studium. Huc apud nonnulos, qui scopi sinceritate destituuntur, accedit vanum placendi propositum, cum eruditio[n]is ostentatione coniunctum. Quæ nunc paucis singulatim sunt consideranda.

§. III.

Notitia rerum dicendarum vberior, si genuina est, laudem quidem in doctore meretur: at causa nimiae extensionis iusta esse nequit, cum docentis scopus non sit edito documento ostendere, nedum ostentare. qualem & quantam hujus & istius doctrinæ, seu materiæ, cognitionem possideat, sed auditores de fundamento ac ordine salutis digna cum excitatione instruere. Dicentis vero idonei cognitionem uberiori esse, quam ut hoc, aut isto, institutionis actu exhausta sit, ipfi auditores facile colligunt. Non itaque dicendum est, quod dici potest, sed quod prodest, & ut prodest q[ue]c[um]que, auditorio est accommodatum.

§. IV.

Quod si ad largiorem ac diffusiorem cognitionis habitum, cumque vario subsidiorum usu locupletatum, accesserit nativum eloquentie donum, quo quis ad rem quamlibet apte ornateque proponendam non solum verba habet in potestate, sed eam quoque, modis identidem variatis illustratam, expolire potest, eo minus in temporis spatio servari solet mediocritas. Cum vero omnino servanda sit, facilior & effusior sermonis profluentia iusta nimiae extensionis caussa esse nequit, certe haud debet.

§. V.

§. V.

Ad ταυτολογίαν qvod attinet, nequaquam quidem existimandum est, eam per se esse in vito: sed distinguenda ea est in genuinam & supervacaneam. *Genuina* est didascalica & exegética, & pro principio agnoscit cum rei dicendae ubertatem, tum affectus in dicente plenitudinem, cum scopi, ad ædificationem impensius directi, sinceritate & ardore conjunctam. *Supervacanea* est inanis illa, quam, in multa, et si subinde varia, repetitione positam, potius dicentis consuetudo, quam rei dicendæ dignitas, aut scopi necessitas, gignit. Quæ uti merito abest a sermone, e justa meditatione derivato: sic ad hunc genuina ista necessaria est; sed parcus tamen adhibenda, ne fusius protracta attentionem, quam acuere debebat, minuat ac defatiget.

§. VI.

Quia paucis multa comprehendere, non cuivis datum est, multi etiam non assueti sunt, ut in obversante rerum copia dicere possint cum selectu, hic defectus in facultate *diffusiora contrahendi* nova est nimirum productionis causa; non vero genuina, excusanda tamen. Quod si ἀρνητις φύσις generatim corrigit, dexter adhibita; quidni hic etiam, quod necessarium est, præstaret, in primis a principio gratiae directa?

§. VII.

Nec parum ad mensuræ excessum confert *exordiorum prolixitas*, sed facile circumcidenda. Quemadmodum enim unum, idque generale, exordium sufficit concioni, uti caput corpori: sic in cuiusvis arbitrio positum est, ut eo quam brevissime defungatur, aut

B 3 utro-

utroque ita utatur, ut tantum aditus fiat ad ipsam tractationem. Et si exordium excitationem attentionis apud auditores pro fine habet, hic eo obtinetur facilius, quo minus istud aliquam ipsius tractationis formam induit.

§. VIII.

Textuum quidem, si fixi sint, *longitudo* una cum matteriarum, quas continent, ubertate, una est e præcipuis nimiæ protractionis cauſis: sed itidem minus idonea; cum, niſi paraphrasticus placeat tractandi modus, cui libet dicenti integrum sit, quam textus longioris partem, aut particulam, tractandam eligere velit. Qvæ eleſtio, in primis ad thema, et ſi innatum, non cuivis tamen obvium, relata, eo eſſe ſolet gratior, quo notiores auditorio ſunt reliquæ fixi, & jam ſepiuſ pertractati, textus materiæ.

§. IX.

Quemadmodum *hermenevica* partium studii theologiæ præcipua eſt: ſic omnino etiam pertinet ad ἕργον doctoris ecclesiastici. At cum *prolixitas* ne academica quidem cathedrae ſemper conveniat, multo minus convenit ecclesiasticae. Adhibita enim & longius protracta plerorumque auditorum aures animosqve ita opplet ac defatigat, ut deinde in applicatione parum ſuperfit attentionis, ſanctiores vero motus diſcilius excitentur. Quid? quod applicationi eo minus relinqui ſoleat ſpatii, quo plus explicationi nimium producētae datum fuit.

§. X.

Nihil vero magis retinet detinetque in aetu tractatio-

tionis homiletico sinceros animarum pastores, quam *sanc*tum adificandi studium**. Nec quidquam est, qvod officio ipsorum magis conveniat, quam iste sanctioris zeli ardor, qui totus in eo est, ut Christo animas lucrificant, nec desistant in iis verbo veritatis evangelico qv*a*si oppugnandis, donec expugnat*a* videantur. Verum enim vero an hic finis per sermones ordinarie longius protractos obtineatur, hoc est, qvod q*væ*ritur, & idoneis, quas deinceps videbimus, rationibus negatur.

§. XI.

Ad has nimiæ extensionis rationes, quibus ad eam optimi etiam quique voluntatis divinæ interpretes abripi solent, et*si* non omnes conjunctim omnibus, tamen alii aliis, ad has, inqvam, accedit apud dissimilis plane notæ præcones vanum placendi studium. Cui et*si* mora sermonum longiore ipsa obstat magis, quam infervit, istud tamen operose conquerire solet ea, quæ pertinent ad ostentationem vanamque dele*ctationem*. Qvibus prolixius in medium prolatis quando, pro ratione scopi melioris non plane deserti, ea quæ ad adificationem faciunt, interferuntur, aut subjunguntur, sacra miscentur profanis, dicendi spatio ipsis subtrahito, & ultra justam sermonis mensuram longius productio.

PROPOSITIO VII.

Qvandoq*uidem* nimiæ & simul ordinariæ, extensionis in habendis concionibus rationes idoneæ sunt nullæ

nullæ, justæ vero ac validæ mediocritatis caussæ, hæc omnino seruanda est.

ILLUSTRATIO.

§. I.

Rationum istarum, quæ mediocritatem magnopere commendant, duæ sunt primariae, reliquas complexæ: una ex parte dicentis, altera ex parte auditorum. Dicentem ab eo, quod in homiliis ratione temporis nimium est, merito avocare debet istarum scopus ad edificationem directus; utpote qui per istud mirum in modum impeditur, fructu verbi diuini apud plerosque si non plane suppresso, tamen valde diminuto. Id quod ut recte intelligatur, primum perpendendum nobis est, in quo fructus iste consistat, qui per conciones intenditur, &c., si hæ euangelico spiritu animatae & cœlestis veritatis salè conditæ sint, apud multos obtinetur.

§. II.

Fructus hic non consistit in eo, ut auditorum memoria rerum propositarum ideis repleatur. Non quidem exclusus est a scopo concionum respectus memorie, cum hæc inde omnino haurire ac sibi imprimere possit ac debeat ea, quibus primaria mentis facultatibus subserviat: at in ideis tamen memorie per se nulla est salus. Immo si quam maxime ad memorie tenacitatem redirent omnia, nimia sermonis prolixitas, cum rerum varietate conjuncta, memoriam potius debilitat & distrahit, quam instruit ac firmat. Quid enim

cre-

crebrius contingere solet, quam ut ea, quæ inter audiendum, tanquam observatu digniora, notata fuerant, eorum, quæ inseqvuntur, varietate & copia nimia obruantur, & oblivione inde deleantur. Qvare quo brevior est doctoris sermo, eo magis is memorie consilit. Non vero commendari hic sermonem nimis contractum, multo minus macrum & omnis spiritualis nervia ac succi expertem, ex antecedentibus liqvet.

§. III.

Genuinus, seu salutaris, concionis fructus est, quando intelle&tus spirituali lumine ita perfunditur, ut voluntas simul *p*ii*s sanctioris affe&tus motibus* affiliatur, motibus, quibus ea excitata gratia operanti locum relinqvat, aut ei jam relictum amplificet confirmetque. Jam si queras, utrum hic effectus in anima longiori, an vero breviori, sermone (brevitate tamen ad mediocritatem attemperata) felicius obtineri possit? cum, prolixitati abjudicatum, merito brevitati tribuimus, diversis, iisque satis firmis, nixi rationibus. Primum enim audiendi sensus nimium protractus intensusque obruitur, ac defatigatus debilitatur. Quæ debilitatio quando animum afficit (non potest autem non afficere) pii motus, qui in eo excitati fuerant, sensim minuuntur: & eo quidem magis, quo magis in eo exsurgit desiderium audiendi epilogi. Certe quod cibus immoderatus est corpori, sermonis satietas quodammodo est animo.

§. IV.

Hoc vero impedimentum ædificationi quæsitæ obstat, non solum apud illos ex auditorum numero, qui rudiiores & a rerum divinarum amore adhuc alieniores

C

ad

ad concionem accesserunt; sed apud illos etiam, qui apertis avidisque animi sensibus cœlestis doctrinæ cibum appetunt, & assūtum intra se digerunt. Hi enim, quo majori audita pretio aestimant, eo ægrius afficiuntur fastidio isto, quod ipsis invitit ex imbecillitate defatigati auditus suboritur. Atque ita in illis pīæ attentionis sinceritas luctatur cum subnato tædio ac finis desiderio, fructu, qui ex auditis recteque perceptis uberioris resultaturus erat, sic magna ex parte suppresso. Sensuum externorum nullus tam facile defatigatur, quam auditus; quemadmodum vel e musica, objecto ejus favissimo, constat. Quo enim hæc longius protractitur, eo plus satietatis ingratæ assert, et si in se excellētissima. Quæ cum ita sint, (quis vero ita negabit?) neutri auditorum parti nimia protracti sermonis prolixitas accommodata est.

§. V.

Id quod ut de utraque eo evidenter constet, utriusque status aliquanto pressius considerandus est: consideratus vero id, quod res est, omnino confirmabit. Rudiorum, qui majorem confidere solent numerum, tanta est imbecillitas intellectus & memoriae, ut ex ipsis vix decimus quisque integræ sermonis sensum, pro sua catenati contextus serie recte percipere possit, et si arrestis attendit auribus. Si perceptit, quid sibi velit hæc & ista, immo etiam cum pluribus aliis cohærens, periodus; mox sequitur alia, quam non intelligit, & ne potest quidem intelligere: &, si potest, nunc hoc, nunc istud, vel invito venit in mentem, eamque ita distractam tenet turbatam, ut ad debitæ attentionis diligentiam plane

plane sit incepta. Qvo in statu quo magis auditis obruitur, eo sit confusior. Probe itaque notandum est prudentibus euangelii præconibus, e sua mentis habilitate nequaquam estimandos esse auditores, in primis eos, qui sere ubique locorum maximam cœtus partem constituunt.

§. VI.

Hoc autem minus considerari solet, quam debet. Nihil enim frequentius usu venit doctoribus, quam ut ex se ipsis auditores dijudicent, si non plane immemores, tamen cum justa applicatione non satis memores, suæ, quam inde a prima juventute habuerunt, scholasticæ & academicæ institutionis, totiusque vita suæ literariae, nec non tot subsidiorum, quibus adjuti rerum divinarum cognitionem ac dijunctionem deprehendunt facillimam; ideoque existimant, idem, si non eodem, sufficienti tamen, modo datum esse auditoribus; in primis si operam dent, ut non solum, quod res est, dicant perspicue, sed dicta etiam identidem declarant, & hac ratione rudioribus etiam instillent. Verum enim vero hæc spes, et si apud unum atque alterum fundamento suo haud destituitur, quantopere doctorem apud plerosque fallat, is tunc demum non sine mentis ægritudine deprehendit, quando, proxima post auditam concionem hora, instituto examine aliquo explorat, quanta seminis portio ab agro suo sit recepta, nec ne? Quid reperiet, nisi quod ne ea quidem e sermone suo hausta sint, de quibus certe fuerat confus, fieri haud potuisse, quin ab iis etiam, quibus tantum medioçris fuerit attentio, recte sint notata, & al-

tius memorie animoque impressa. Nec crediderim, quemquam hic cum idonea ratione regestum esse, quod deprehensus ejusmodi stupor necessario requirat, ut verbi minister eidem materia diutius inhæreat. Aliud enim omnino est, alicui doctrinæ ita inhærere, ut, respectu ad rudiorum captum habito, ea sufficienter declaretur: aliud huic declarationi ita immorari, ut cum auribus etiam animi defatigati ab attentione remittant, rerumque varietate oppleti ea etiam, quæ circa concionis initia, aut in ejus progressu primum notaverant, ex ipsa quoque memoria effluxisse deprehendant. Atque ita plerique ex auditoribus simillimi sunt vasis, quæ quo angustioris sunt oris, eominus, quæ ubertim infunduntur, recipiunt, tantum abest, ut recepta digne adservent.

§. VII.

Quod si alteram auditorum partem, eam iforum, quibus ad dignam rerum sacrarum perceptionem exercitati sunt animi sensus, respiciamus, his quidem videri posset accommodata esse longior publici sermonis extensio: at, ex qua ratione, id sane non adparet. Etsi enim hi ea etiam, quæ sinon omni, tamen majori ex parte, jam tum bene perspecta mente sua ad concionem attulerant, non sine fructu denuo, immo identidem, audire possunt, & pro suaviori suo, quem in rebus divinis percipiunt, gustu verissimum inveniunt illud vernacula nostræ: je langer, sive je öster, je lieber: retamen ipsa cibo per tantum temporis tractum, tantamque repetitionis operam, præmanso non egent, ideoque pro spiritali fame, quacum a cœlesti alimento etiam

iam bene saturatis recedendum est, fastidio, sibi ipsis
maxime ingrato, replentur.

§. VIII.

Non quidem primo intuitu deest, quod hic possit
excipi, scilicet præter duas istas auditorum classes esse
tertiam eorum, qui, in istorum medio positi, nec incapa-
ces sint longioris sermonis, nec eum tamen habeant
mentis habitum, cui *αυσθητίγια γεγονότα σπέντα πρέσβεις διάγι-
σιν καλύτερες οὐκαντίς* adfint, ideoque, ut ea accipient, fu-
sius sint instituendi. At enim vero si hæc auditorum
classis est *mediocris*, habilitatis spiritualis mediocri-
tatem habens, ecce *mediocritati captus* non accommoda-
tur ipsius etiam *institutionis mediocritas*, sed pro hac istud,
quod nimium est? Manifestum itaque est, hoc ipso
nulli auditorum parti recte consuli. Immo fac, in singulis
istis auditorum generibus esse unum atque alterum,
cui nimia sermonis deductione bene consulatur;
tamen, pro ipso scopi ad ædificationem directi, ac pro
conscientiæ duœtu, plurimorum habendam esse ratio-
nem, quis negaret?

§. IX.

Ad hasce servandæ *mediocritatis* rationes accedunt
alii, uti haud exiguae, ita ad eius studium probe confide-
randæ. Deprehendimus eas in diversâ ista auditorum
conditione, quam ab externa, præcipue valetudinis, for-
te habent. Qvis enim necfit, aliis alios valetudinis es-
se imbecillioris, ita ut, quando, ea pressi, a sacris publi-
cis semel atque iterum, immo saepius, abs fuerunt, ab il-
lis diutius abesse nolint, ideoque, uti ad ea non sine dif-
ficultate accedunt, ita iisdem non sine maiori intersint,

C. 3

etiam-

etiamsi in ipsis ratione durationis servetur mediocritas. Et, ut de utriusque sexus *grandævis*, & in fœminino de *gravidis*, nihil dicam, rerum familiarium cura, ea etiam, quæ diebus festis ac dominicis non plane omittenda est, nunchac, nunc ista in parte, non sine periculo, certe incommodo aliquo, fert heri ac heræ, vel famulitii, absentiam longiore. Qvodsi per æstatem nec æstus, nec frigoris per biemem intensioris ratio habetur, uti non raro fieri solet, eo minus consulitur animo, quo intolerabilior corpori est iusto longius producta sermonis series. Nec ignotum est, apud haud paucos inde desumi absentia, si non justam semper caussam, speciosam tamen excusationem.

§. X.

Succedat altera e duabus primariis caussa, quæ, ab ipsa *dicensis persona* desumpta, in publico sermone brevitätis studium merito commendat. Hæc est *cura valetudinis*, ex ipso etiam jure naturæ cuiilibet injuncta. Huic vero nimiam sermonis productionem obstat, eaque valetudinem variis modis affligi, præter rei ipsius evidentiā apud multos experientia comprobatur. Nam, ut de noxia virium prostratione nihil dicam, quo diutius sermones cum laterum intensione continuantur, eo largius excitari solent sudores: qui quando pro plerorumque facellorum, in quæ proximus a concione fit regressus, frigoris habent vicissitudinem, hinc facile repelluntur, repulsi autem sua ad viscera vitalia recessione, sæpe multorum magnorumque malorum caussa existunt, in primis affectus paralytici. Et cum commotionis vehementia sanguinem ad orgasmum, seu nimium fervorem,

con-

concitet, & hic cum copiosius ad pulmones deducat, hæmoptyseos, & quæ hanc plerumque sequuntur, phthiseos pericula præstò sunt. Multos sane optimæ spei juvenes hoc modo præmatura morte extinctos novimus, cum, uti e scholæ medicæ testimonio constat, illa præcipue ætas, quæ intra annum decimum octavum & tricesimum quintum agitur, hæmoptysi ac phthisi sit exposita. Et cum non raro etiam mediocre sermons quædam vocis raucedo excipiat, per longius continuatos arteria aspera supra modum sæpe ita constringitur, ut humor lymphalis, qui eam alias irrigat, præcludatur, & hinc nonnunquam raucedo maior & ægre medicabilis inniduletur. Neque hic valet ratio a robustiori corpore in contrarium desumpta. Non enim a fensus matutinioris defectu ad ipsis detrimenti negationem argumentandum est. Qvod virilis ætas non experitur, sæpe cum noxa eo majori recidit in senilem. Immo fac, nullum subesse valetudinis periculum, auditorii tamen scopi-que rationem habendam esse, qvis negaret?

§. XI.

Hæc hactenus de cauiss mediocritatis in concionum mensura servandæ primariis, plures alias continetibus, una ab auditoribus, altera ab ipso doctore, desumpta. His non immerito addo *tertiam*, istis eti haud parem, re tamen ipsa haud levem, positam in ea *boni ordinis*, qvi cultum Dei publicum ornare debebat, confusione & perturbatione, qvæ longiorem sermonum publicorum productionem, si non pro unica, certe pro non exigua, ratione habet. Hymnos sacros, piasqve preces publicas, alteram e duabus primariis esse cultus publici partem

partem, nemo ignorat, certe ignorare debet, cum hoc ipsum, præter ipsam rem, etiam antiquæ ac purioris ecclesiæ praxis satis superque ostendat. Qvis vero christianæ mentis homo probare potest illud temporum nostrorum, proh dolor jam tum a maioribus nostris ad nos, per pravam imitationem traductum cacoethes, quo auditores plerique, certe haud pauci, non solum inter hymnos, sed etiam post eos propemodum, aut penitus, absolutos, serius ad solam concionem accedunt, eaque vix finita, neglectis rursus precibus hymnisque, non sine magno frequentioris descensionis & excursionis strepitu, ædium ecclesiasticarum foribus effunduntur. De causa interrogati, rationibus aliis prætermisssis, nimiam concionis protractionem præcipue allegare solent, illam nequaquam allegaturi, si ei decens sua mediocritas constaret.

PROPOSITIO VIII.

Cum tot ac tantæ sint mediocritatis in concionum mensura servandæ rationes, ecclesiæ doctor, cui gregis sui ædificatio curæ cordique est, & istius defectum in se deprehendit, sibi merito commendata habet consilia & adminicula, quibus promotum breviloquentiæ studium feliciteter

ter succedit, & qvæ ex hac tenus data rationum deductione jam per se resultant, seorsum tamen paucis adhuc sunt commemoranda, seu applicanda.

ILLVSTRATIO.

§. I.

Consilium primum: *Cave, ne, sub ædificationis intentione, nimia sermonis extensione ædificationem impediās.* Cum, hoc fieri, demonstratum sit; quis, qvælo, salva conscientia id agere potest, ut laboris sui fructum ipse intervertat; si non data opera, re tamen ipsa? Paradoxum quidem est, ædificandi studium scopumque, qvi justo etiam longiori concioni præfixus est, ædificationis impedimentis accensere; sed, verissimum tamen esse, quo argumento negabitur? Si affectum, qvi vel invitum abripiat, cauſarisi; noveris, tuum esse, ut hunc, secundum prudentiæ leges bene temperatum, in potestate tua habeas. Qvod si doctoſ or aliquis academicus, vel ex sola justi ordinis, secundum qvem lectionum horæ distributæ fūnt, consideratione, ſpatii ſui ad docendum definiti terminum non transgreditur; quid non ecclesiastico injungere poſſunt ac debent tot alia, eaqve graviflīmæ, rationes, vel mediocriter conſideratae?

§. II.

Perpende, sermonem tuum, si in polylogiam, auditorum

D au-

*uores animosqve defatigantem, abeat, nulli auditorum classi
e tribus istis memoratis ad edificationem prodeesse, obesse ve-
ro non parum.* Id quod, quando consideras, fieri non
facile potest, qvin orationis tuae vela, simul ac ista libe-
rius laxata esse deprehendis, curatius contrahas. Et
si non sis immemor, in singulis istorum generibus non
deesse imbecillioris naturæ & afflictioris valetudinis
homines, quibus nimia sermonis tui protractio tolera-
tu sit difficillima, eo magis brevitatib[us] studebis.

§. III.

*Noli caussam, certe prætextum, prebere illis, qvi, et si se-
rius accesserunt, tamen justo citius rursus evolant.* Qvod
si hoc fieri, & qvidem vel in tuis post concionem publice
precantis oculis, ægre fers, eoq[ue] strepitu non parum
turbaris; deme caussam, aut, qvando hæc justa non est,
præscinde prætextum, ne sit, qvod *ārator* obvertere, &
ad tegenda sua verbi divini tædia profane allegare
possit.

§. IV.

*Abstine ab illa ætoræq[ue] cas, latius sic dici e specie, quam immo-
derata laterum pulmonumq[ue] intensio efficit.* Qvod si tanto
corporis es robore, ut prostrationem virium nullam, aut
exiguam, sentias, in primis florentioris ætatis tempore;
noveris, tua virium incrementa sua habitura esse decre-
menta; & cavendum esse, ne, istis ante ineuntem senes-
centem fraetis, huic necessarium subtrahas fulcimen-
tum. Si sincero gregis tui amore duceris, ejusque fa-
luti promovenda invigilas, parce tibi ipsi, ut isti diu-
tius consulere possis. Ut nihil nunc dicam de pro-
pria familia, cui alendæ, & ad mentem Christi forman-
dæ, nemo se ipsum maturius subduxerit.

§. V.

§. V.

Meditare, non solum quid sit proponendum, sed etiam quid omittendum, tam in hermenevica, quam practica, textus tractatione. Sermo est de illis, quibus vel e propriæ cognitionis principio, vel e subsidiorum apparatu, nimia dicendorum copia affluit, solutionis linguae facultate ei subserviente. Et quid attinet, dicere semel, quæ ad unum prædicationis actum non subministrata sunt? in primis illis in locis, ubi major est concionum copia. Selectu itaque opus est, eoque curatore; non solum in meditatione, sed in ipso etiam elocutionis actu.

§. VI.

Exordii generalis ambitum effusorem circumcidet, solo ad tractandam materiam adiut, eoque breviore, contentus. Huic enim non convenit exegistica tractatio, nisi sit concisior, & suum textui recte explicando ac digne applicando locum campumque relinquit integrum. Si minus, quod excitandæ attentioni inservire debebat ac poterat, ei jam in antecessum minuendæ inservit.

§. VII.

Exordium speciale non incommode plane omittitur, themate illo, quod ex textu tractandum felicitur, sine ullo circuitu eidem statim sub juncto. Est quidem in libertate docentis possum, utrum duplicato uti velit exordio, & utroque quam brevissimo; in primis hoc & isto tempore, ubi res ipsa id requirere videtur. Si vero, quid consultum sit, quæras? commendo ratione modi ordinarii exordium simplex. Quem exordiendi modum simplicem

D 2

jan

jam ex aliquo temporis tractu a multis receptum esse,
non est ignotum.

§. VIII.

Si textus est aliquanto longior, sufficit uberior ejus paraphrasis, aut alicujus inde selectae partis tractatio. Ne vero etiam haec modum excedat, cavendum est per reliquias rationes; sed ita in consilium adhibendas, ne quis, in contrarium retractus, sub breuitatis opinione, a digna meditatione, & diligentiore, quæ in primis juvenes decet, elaboratione remittat, & in sermone frigidus & exsuccus deprehendatur.

§. IX.

In elocutione circa syllabas vocesque absit nimia mora, nec sermo integer tardu[m]o[rum], quam res ipsa non requirit, laboret. Mora quidem justa merito obstat elocutioni præcipitatæ; sed affectata, aut ex inconsulta assuetudine assumta, sermone nimis protracto audienti facile tedium aliquod affert. Et si semel atque iterum, quod res erat, dictum, immo etiam declaratum est uberior, quod auditori sufficit, etiam tibi sine repetitione & variacione sufficiat.

§. X.

In dictis biblicis citandis modus servandus est. Rei quidem ipsius dignitas non raro exigit, ut loca scripturarum citatis ipsorum sedibus allegentur: at quando haec allegatio in consuetudinem abit, non solum ædificationi non inservit, utpote supervacanea, sed haud idonea etiam nimiae moræ cauſsa est. Sufficit cum scripturaloqui & sentire. Ad dictorum vero evolutionem ac prælectionem quod attinet, etiam hic raritas est commendabilis.

§. XI.

§. XI.

Qvia clepsammium frustra non est appensum, nec frustra in non nullis templis campanula, etiam horae quadrantes indicans, sonat, iis etiam monitoribus utendum est. Qvando vero? in tempore, antequam tertius, aut ultimus, audiatur quadrans. Sin minus, sonitus fuit frustaneus, aut justæ applicationi, præcipue concionis parti, in detrimentum cedit.

§. XII.

*Non incomode etiam nimia sermonis luxurie scrip-
tione, per meditationem bene ordinata, circumciditur.
Nam, quod supra in præfatiuncula monitum est, tota
hæc dissertatio præcipue destinata est studiose juven-
tuti, theologiae studio addictæ. Huic vero qvam
maxime incumbit, ut in concionum elaboratione justa
utatur. Cui cum in primis scriptio inserviat,
hæc simul id secum fert commodi, ut orationis series:
justos mensuræ sue limites servet; nec tamen, sine suf-
ficienti elocutionis libertate, scripto pressius adstrin-
gatur. Ceterum, monente Paulo 2. Cor. II, 17. loqui e sin-
ceritate & ex Deo, coram Deo, in Iesu Christo, regularum ho-
mileticarum est optima. Potuissim occasione hujus
materiæ, adhibitis rei litterariæ subsidiis, vagari per
campos omnis antiquitatis, & ex iis hanc tractationem
variis variorum exemplis & consilio illustrare. Sed suf-
ficiant rationes, ne, qvi brevitatem concionum com-
mendo, prolixitatis in dissertatione academica ni-
mæ jure accusari possim. Cum enim hæc publico dis-
quisitionis actui præcipue sit destinata, is vero brevis-
simus est, duarum circiter horarum spatio ordinarie defi-
nitus, certe brevitas etiam est, qvæ eiusmodi exerci-
tationes inter alia commendat.*

PRÆSES

RESPONDENTI

S. D. P.

QVAM responsione publica defendendam suscepisti dissertationem, carissime BIERDEMANNE, primum ita defen-des & declarabis, ut illud mea & audi-dorii fert exspectatio: deinceps autem re ipsa ita ornabis, ne quid monitorum in te ipso deside-retur. Non desiderabitur vero, si in sancto DEI timore ex principio gratiae omnia ad praxin re-feres. Qyam ut tibi ipsi, ipsa vita tua ad men-tem Christi composita exprimendam, eo magis habeas commendatam, identidem memor esto moniti mei homiletici a me saepius dati ac re-petiti, *doctorem quemlibet*, cum aures habeat ipsi ori suo proximas, *proximum es-se sui ipsius auditorem*; atque ita ipsum esse debere *primum in obseqvio*; nec unquam, nisi repetito ac confirmato hoc pro-posito, concendum esse suggestum. Qvod qvo feceris fidelius, eo certius ac uberioris tibi ac illi, qvod tibi aliquando DEUS concretet, audi-torio consules. Vale.

VI

VIRO
NOBILISSIMO PATQVE DOCTISSIMO,
AMICO SVO INTEGERRIMO

S. P. D.

IOANNES FRIDER. STIEBRITZ.

S. S. TH. C. AC DISS. OPPON.


EX quo mihi licuit Tua uti fruique familiaritate, in te amavi, cui Te dediisti, studium *angelicas*. Hinc in primis quoque omnem mortuus lapidem, ut disceres justam cuivis rei ita tueres mensuram justumque pretium. Atque ideo Te etiam ejusmodi Praeceptoribus formandum tradidisti, qui semper *angelicas* ac soliditatis laude fure conspicui, ut hac ratione totus ad eorum exemplum componereris. Quae cum ita sint, quis valde miraretur, Te, cum publice studiorum Tuorum rationem reddere velles, ejusmodi materiam elegisse, quae *angelicas* singulare sibi ratione vindicat. Est omnino, quod Tibi, Vir Doctissime, ea de re gratuler. Rebus enim Tuis ita constitutis, quis dubitaret, Te eximum exinde capturum emolumentum? Faxit vero superimum numen, ut, lumine diuino magis in diem colustratus, in omnem ducaris veritatem. Itaque sum certissimus, Te ecclesia commodo, patriæ ornamento, Praeceptorum gaudio, familiae solatio quam maxime esse inseruiturum. Vale, & quod facis, fave. Dabam Ha-
la ad d. 25. Septembris MDCCXXIX.

PRAE-



NOBILISSIMO AEQUE AC DOCTISSIMO
DOMINO R E S P O N D E N T I
S. P. D.
FRIDERICVS KORNMANN.
S. THEOL. STVD. OPPON.

Si unquam alias, hoc certe tempore, quo, quantos in litterarum, in primis sacrarum, studiis feceris progressus, publico declaras specimine, gratulandi Tibi, doctissime BIERDEMANNE, prolixumque meum erga Te animum patefaciendi occasio oblata mihi esse videtur. Haud diffiteri queo, magnai me semper, quamdui conversatus Tecum atque familiaritate conjunctus Tibi fuerim, aestimasse Te ob eas ingenii pariter & animi Tui dotes, divina quas benignitas contulit Tibi largissime. Quas vero, ex quo Academicam degisti vitam, sanctioribus iustis disciplinis, eis, quae ad vitæ morumque spectant probitatem, coniunctis, ita excoluisti atque exornasti, ut spem Tuorum de Te conceptam expleturus aliquando esse videatis. Id quum, aliis ut innotescat, publico efficias jam documento, facere propterea summa pro ea, qua Te attingo, necessitudine haud possum, quin gratulationis officium erga Te meum etiam persolvam, ac præpotentem cœlorum Dominum ardentissimis invocem precibus, ut porro te dextra sua omnipotenti protegat, repellat a Te, quæ mentis corporisque Tui integritatem possint disturbare omnia; atque sic, qvidquid bonarum intramentem Tuam reconsideris scientiarum, ita adaugeat, ut ejus fructus posthac in ecclesiam diffundi queant uberrimi.



Zg 6179

ULB Halle
002 675 65X

3



Not

AN
BEG
N

D



DISSERTATIO HOMILETICA
PRIOR
DE
I V S T A
CONCIONVM
MENSURA,
Bon kurzen und langen Predigten:
QVAM,
IN VSVM AUDITORII SVI CONCINNATAM,
IN REGIA FRIDERICIANA
DIE SEPTEMB. HVIVS ANNI MDCCXXIX.
PUBLICAE DISQVISITIONI
SUBMITTIT
PRAESES
D. IOACHIMVS Lange,
S. THEOL PROF. ORDIN.
RESPONDENTE
FRANCISCO DANIELE Bierdemann,
SINSERIA HALBERSTAD. S. THEOL. QVI.

TYPIS CHRISTIANI HENCKELII ACAD. TYP.